



1. G. Tunicij pentas illustrium questionum
 historia passionis dominice 1690
 2. Andr. Concij explicatio IV circumst. & passione.
 3. Bernh. v. Sanden, diff. de Sponso sanguinum. 1713
 4. Christ. Sahmij diff. de viro dolorum. 1718.
 5. ejusdem, diff. de agno paschali. 1712.
 6. Jac. Roesers. diff. III de morte iudee 1668.
 7. Mich. Schreiber diff. de verbis HAI, HII, nma et baxea.
 8. Mich. Sanderi orationes duas de iudicio plati. 1716.
 9. Balth. Rhau, meditatio sacra vulnerum. 1673.
 10. Jac. Börger, diff. de veteri Roman: crucifixione modu.
 11. Barth. Goldbach diff. de materia et forma crucis. 1670.
 12. Mich. Hoynovij programma. 1698.
 13. Christoph. Schultz De iudeo non mortali 1689.
 14. Joh. Hffelmanni diff. de Descentu Chr: ad inferos. 1616

- 15 joh. Wilh. Bajeri diff. ex 1 petr. III. v. 18 = 20, i 1689.
16 Christ. Claij diff. de die parascever. 1697.
17 joh. Affelmanni diff. de merito Christi. 1615.
18 joh. Hulsmanni diff. de satis factione 1634.
19 Bernh. v. Sanden diff. de virtute meriti Christi. 1710.
20 Joach. justi Breithaupt diff. de satis factione 1688
21 Bernh. v. Sanden diff. de nulladiversitate inter C. et C. 1709.
22 Balth. Meissner diff. de fide / obi. 1666.
23 Wilh. Lysceri diff. de resurrectione Christi. 1636.
24 Leo pourcheny diff. de duabus in C. naturis. 1634.
25. Joh. Affelmanni diff. de unione in naturarum C. 1616.
26. Dissertatio de Majestate hominis Ch. in volv. fado habita. 1664
27. frid. Baldini diff. de Christo Calvinianorum. 1613.
28 joh. Affelmanni diff. de omni prosperitate. 1615.
29 Val. Alberti, diff. de introitu Chr. per ianuas. 1693.
30 Ucquardi, de gestis Christi quadragesimali. 1716.
31. Bernh. v. Sanden diff. ex joh. XXI. v. 18 = 17, i 1696
32 ejusdem, diff. ex Matth. XVI. v. 18. 1710
33 joh. Bottsacci diff. ex Matth. XVI. v. 18, 1636
34 christoph. pelargi diff. de ascensione. C. 1617
35 joh. Andr. Bosq. diff. II. in periodam plan. 1673
36 j. frid. Magni Spicilegium questi: pentecostalia. 1673.
37 godfr. Crasmi diff. de peregrinationis Apostolorum. 1702

" 1690
1714
nun. 1713
18.

668.
ma. 1716
in Fabro. n.
i. 1633.
1633.
1633.
1633.
1670.
ci. 1687.
al. 1689.
ad inferos.

38. Joh. Cr. Peeters Diff. De araignoti Dei; 1710. 1712
 39. Chr. Majscovij Diff. ex Act. XII. v. 16. fez 1711
 40 ejusdem Diff. ex 1 Corinth. viii. v. 1. 1713.
 41 Bernh. v. Sanden Diff. ex Act. XVII. v. 29. 1713
 42 ejusdem, ex Act. XVIII. v. 30. 1714
 43 ejusdem ex Act. XVIII. v. 31. 1714.
 44 Christ. Majscovij Diff. de conversione modernorum
 45. Bernh. v. Sanden Diff. de salute gloriam in fiduciam 1711.
 46 Joh. Jac. Quand Diff. ex Act. XXVIII. v. 13. 1710.
 47. Bernh. v. Sanden Diff. de conjugio petri et pauli 1707.
 48 Joh. Jac. Quand Diff. ad quem epistola Gal. scripta 1712.
 49. ejusdem de doxologis paulinis 1716.
 50. Mich. Henr. Reinhardi oratio ex apocal. XVI. 1721.
 51. Mart. Sylv. Grabe Diff. ex II Cor. v. vi 19. 1678.
 52. Joh. Behm Diff. de Nimbo sanctorum 1716.
 53. Iac. Thomas Diff. de insignijs 10. Evangelij lagum 1689.
 54 Bernh. v. Sanden Diff. De cultu R. Marii 1689.
 55. Iac. Martinii Diff. De Imaginibus. 1597.
 56. Godoffr. Weyneri Diff. de iudicio sanctorum. 1700.
 57. Joh. En. Peeters Diff. De resurrectione balaustorum. 1712.
 58. Joh. Wilh. Bayeri Diff. de statu animalium 1631. Separatione
 59. Joh. Conr. Danhaueri Diff. de grad. viri 1639. Etate & vita
 60 Sam. Schelynij Diff. de lingua Beato; rum 1692. alt. vita
 61 Joh. Wilh. a Litz Diff. statu de statu mortis 1693.
 62. ejusdem, De imbecillitate lassiniis naturali. 1693.
 63. Berth. v. Saaden Diff. De humanae vita termino 1708.
 64. Edvardi Diff. De termino solatij experte 1706.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
21.
Evincens
LEGEM INTER ET
EVANGELIUM NULLAM
ESSE ADVERSITATEM,
22.
Quam,

JUVANTE JEHOVA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO

WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDFE, &c. &c. &c.
JUSSU VENERANDÆ THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA REGIOMONTANA,
SUB PRÆSIDIO

DOMINI
BERNHARDI VON **SANDEN**,
S. Th. D. & Prof. Prim. Facult. Theol. Senior. & p. t. Decani, S. R. M. in
Prussiâ Concion. Aulic. Prim. & Consiliarii Confift. Sambienſ.

PRO GRADU DOCTORATUS
IN THEOLOGIA

M. CHRISTIANUS MASECOVIUS,
S. S. Theol. Prof. Extraord. designat. Confift. Sambienſ. Consiliar. Eccles.

Loebnic. Paſtor. Scholæq; ibid. Inspector,

IN AUDITORIO MAXIMO,

Ad diem XIX. Decembr. Horis ante- & pomerid. A. MDCCIX.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
IN SUMMO BORUSSIÆ REGIMINE
CONSILIARIIS ACTUALIBUS INTIMIS
ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS,
DN. CHRISTOPHORO, COMITI
à Wallenrodt/
Supremo Curiæ Provincialis Magistro, & Ordinis Prussici Equiti,
Hæreditario Domino in Pachollen / Preckelwitz / Altstadt / Wilkmen /
Tiegelaken/ &c. &c.
DN. CHRISTOPHORO ALEXANDRO à Rauschken/
Supremo Burggrabio, ac Prussici Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Eiserwagen / Kirschnehen / Matrau / &c. &c.
DN. GEORGIO FRIDERICO à Kreyzen/
Supremo Cancellario, Feudorum Directori, Summi Tribunalis
Præsidi, Prussiciq; Ordinis Equiti,
Hæreditario Domino in Westlinen / Poren / Wesselsbven / &c. &c.
DN. FRIDERICO WILHELMO à Wanck/
Supremo Mareschallo,
Hæreditario Domino in Podangen / Lomp / Rosenu / Maulstrüzen &c. &c.
DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS,

Hanc Dissertationem pro Gradu Doctorali in devotissima
gratitudinis declaracionem suique ulteriore
commendationem, cum calidissimo periculosisim
hōc contagionis tempore divina protectionis vo
tō, submisā manu ac mente dicat ac consecrat

CHRISTIANUS MASECOVIIUS

§. I.

Maximam esse diversitatem Legem inter & Evangelium, inficiari haud facile quispiam voluerit. Ex nostrisibus quam luculentissime eam apposuit magnus noster Gerhardus in Loc. Theol. Tom. III. Cap. XII. p. m 239, & seqq. Nimirum juxta hujus atq; aliorum nostræ Ecclesiæ Doctorum mentem differt Lex ab Evangelio variò modò: I. ratione originis & modi patefactionis. II. ratione causæ mediaticis. III. ratione Materiae. IV. ratione Formæ. V. ratione Effectus, & VI. ratione Objecti. Quibus tamen adhuc plura addi possunt. Rem præterea maximè necessariam esse ac perdifficilem, differentiam accuratam Legem inter & Evangelium nosse & apponere, statuunt Theologi magni. Ita quippe hanc in rem Hulsemannus in Vindic. Script. Sacrae Art. XXVI. §. LV. II. p. m. 90. Verum discrimen Legis & Evangelii, traditum Rom. X. & Ebr. VIII. est fundamentum non solum gratitiae justificationis per fidem, sed totius quoque consolationis & salutis Christianæ, tum quoad notitiam dogmatum, tum quoad praxis solandi conscientias sensu infirmitatum suarum & judicii divini territas, ut ille demum in Christiana fide se aliquid profecisse gloriari posset, qui discrimen hoc rectè didicerit, sunt Lutheri verba in Epistol. ad Gall. & in expositione v. 21. C. III. ipse quoq; Lutherus hanc in rem legi meretur Tom. V. Jen. Edit. Germ. p. 474. Et rectissime sic sentit B. Lutherus. Quot enim sunt, qui discrimen hoc minus rectè observarunt? Taceo Scholasticos atq; Pontificios, qui hac in re non parum sunt hallucinati. Sed quam turpiter à vero Legis & Evangelii discrimine aberrant

A

verint

verint Sociniani, Arminiani, Schwenckfeldiani, Anabaptistæ, Synergistæ, aliquæ plures, ex eorum scriptis colligi potest. Sed hæc ulterius prosequi, nostri non est instituti; verum id tantum hic querimus: *Utrum in tet differentiis legis & Evangelii aliqua ADVERSITAS, REPUGNANTIA aut CONTRARIETAS reperiatur?* Et respondemus, negando. *Abst enim, ut statuamus hostilem quandam contrarietatem, aut capitalem pugnam his doctrinis intercedere, quam tamen admonitio Neostadiensis Confessioni nostrarum Ecclesiarum affricare conatur.* - - - Non adversa, sed diversa, non contradictione opposita, sed subordinata sunt hæc duo doctrinarum genera &c. inquit Gerhardus citatō loco. Cujus mentem B. C. D. ulterius explanare, animus est.

§. II.

Primum, quod nostram assertionem indubiam reddere potest, est, quod ipsa S. Scriptura omnem legem inter & Evangelium hostilem repugnantiam ac adversitatem quam manifestissimè tollere velit. Ita namque Apostolus: *Quandoquidem unus Deus, qui justificabit circumcisum ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur irritam facimus per fidem?* Abst: *In modo legem stabilimus. Rom. III. 30.* Sic licet occurrit objectioni Jūdæorum, qui fortè, ubi audivere Paulum extollere Evangelium sive fidem, regessent, eum legi contradicere, eidemque justitiam adimere. Hinc, ut ostendat se hoc non facere, innuit, inter legem & Evangelium non esse adversitatem, sed potius alterum cum altero convenire, legemque Evangelio non destrui sed stabiliri. Inde

Pulchrè sanè Erasmus Roterod. in Paraphraſi in univers Epift.
Apostol. super h. l. Verū dixerit Judeus quispiam: Quid ait
Paulus? Si verum est, quod ait, omnia nunc per fidem p̄fāſari,
Mosis legem prorsus otiosam ac inutilem facis Iudeis. Bona ver-
ba. Imò adeò non abolemus legem aut labefictamus, ut eam etiam
confirmemus, stabiliamusque, id p̄dicanter factum, quod lex
futurum promiserat, cumque nuntiantes, in quem ceuſcopum sum-
ma legis p̄petabat. Neque enim id aboletur, quod in meliorem re-
paratur statum, non magis ac si deſluentibus arborum flo-
ribus ſuccedat fructus, aut umbra ſuccedat corpus. In-
de ex Augustini Tom. III. Num. 44. hæc habet S. Prosper.
Lex data est, ut gratia quereretur, gratia data est, ut lex im-
pleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur, ſed vitio pru-
dentia carnis, quod vitium per legem demonſtrandum, per gra-
tiam ſanandum fuit. Idem Apoſtolus docet quoque Ga.
lat. III. v. 21. Οὐ νόμος ἡ τὸν ἐναγγελῶν τὸ Θεόν; Lex igi-
tur num adverſus promiſſiones DEi? & respondet: Abſit. Et
enim ſi data fuifet lex, que poſſet vivificare, verè ex lege eſſet
iustitia. Sed conculxit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promi-
ſio ex Fide JESU Christi daretur credentibus. Ceterum ante quā
veniſſet fides, ſub lege cuſtodibamur, conculxi in eam fidem, que
erat revelanda. In quibus quidem diſferentia inter Legem
& Evangelium ſtatuitur in hoc, quod lex operum p̄fāſationem,
tūper naturam tūm per gratiam faciendorum: Evangelium
verò non opera, ſed ſolam fidem requirat, juxta explicationem
Hulſemann in Praelect. Publ. ad Breviar. Cap. VII. Thes. IX.
X. XI. At verò propterē ullam exiſtere ADVERSITA-
TEM legem inter & Evangelium, expreſſe negatur. Plu-
ra loca ejusdem valoris afferri poſſent, ſed hæc duo adducta

abun.

A 2



⁴
abundè comprobant, juxta mentem Spiritus S. nullam esse
Legem inter & Evangelium hostilem adversitatem.

§. III.

Hicce argumenta juvat subjecere. Primum desumi
potest à genere tūm Legis tūm Evangelii, quod utriusque
est Doctrina: Hæc DĒum ipsum causam habet efficientem,
quod ad eō clarum est, ut nullā indigeat probatione, hinc
que huic argumēto præbet ansam construendō: *Qua-
rum doctrinarum Deus autor est, illæ doctrina sibi repugnare aut
contradicere non possunt. Atqui Doctrinarum, Legis & Eu-
angelii Deus autor est.* Ergo. - - Minor extra omne
dubium, major verò facillimè probari potest. Nam au-
tor doctrinarum sibi adversantium aut repugnantium pri-
mū eō se prodit, esse in se defectum & inconstantiam,
quia nec certus est de veritate doctrinæ, nec in eadem con-
stanter persistit, deindè, quia eō docet verum ac falsum,
decorum ac turpe, in se esse vitium presupponit morale Ex
hicce verò DFO quidpiam attribuere velle, summa esset
blasphemia.

§. IV.

Sed ut vis majoris propositionis eō magis elucescat,
ab objectionibus repurgetur, necessum esse videtur. I. ni-
mirum objici posset: DĒus omnium scientiarum hone-
starum autor, quæ verò pro objecto possunt habere contra-
ria & repugnantia, e. g. calidum & frigidum sunt repugnan-
tia, de utroque agit Physica, justitia & injustitia, liberalitas
& avaritia sibi sunt adversa, de utroque agit Ethica, doctri-

næ

5

næ, quæ DEum habent autorem. Ad eundem modum
dici posset, DEum esse posse Autorem Legis & Evangelii, &
tamen hoc non obstante in iisdem contraria, adversa, repu-
gnantia constituere. Ad quam objectionem respondemus
cum distinctione (1.) rem aliam esse, ipsas scientias honesti-
ores sibi contrariari, & rem aliam, easdem *contraria & repu-*
gnantia in se complecti. Hoc enim requirit scientiarum ho-
noratorum natura, e. g. ut Physica agat de frigido & calido,
nigro & albo; illud verò ab omni scientiâ honestissima est
alienum. (2.) rem esse aliam, scientias *perirrumpere* diversa,
& rem aliam *precipere* adversa. Hoc doctrina decora præ-
stare nequit, illud ad exquisitam rerum cognitionem sum-
moperè requiritur. Quibus præpositis, illicò abunde va-
cillata est objec̄tio. Nam utut dicamus, Legem & Evange-
lium in se adversa quedam complecti, utpote peccata, quæ
manifestat Lex, & gratiam, quam suppeditat Evangelium,
minimè tamen ipsæ propterea sibi contrariantur, aut ulla in-
re contraria præcipiunt. Id ipsum verò est, quod fieri non
posse dicimus in majori propositione hac de causâ, quoniam
DEus utriusque doctrinæ autor est. II. Objici potest, DE-
um autorem esse doctrinarum Philosophicarum & Theo-
logicarum, quæ verò repugnantia & adversa docent tenenda.
Nam Philosophia dicit, virginem non posse parere, Theo-
logia verò, virginem peperisse. At respondeatur, neque
in hisce esse repugnantiam aut contrarietatem. Nam (1.)
veluti Theologia Philosophiâ infinitis paralangis præstan-
tior est; ita sanè de talibus judicare potest, ad que silere
tenetur Philosophia, in quibus ergò nulla erit contradic̄tio,
quomodo enim Philosophia hisce contradicet, quæ extra li-
mites

mites suos? id quod quidem nonnunquam facit Philosophus, sed abusivè, prout nempe naturæ lumine abutitur, ipsa Philosophia verò cōdem nunquam abutitur, hincque haud unquam Theologiae contrariari potest. (2.) Contrarietas aut adversitas ad idem iāle esse debet, sed in Theologia & Philosophia ad idem nequaquam datur adversitas. Nam Philosophia inquit: Virgo non potest parere naturaliter, idem quoque dicit Theologia, quæ verò hoc superaddit, DEum suprà vires naturales in talibus extraordinarum quidpiam fecisse. Hinc D. Menzerus Elencho Errorum Sadeel. ad argum. VI. hunc in modum differit: *In mysteriis fidei Christianæ non habendum est pro contradictione, quicquid non congruit ad rationem humanam, sed ex solo DEi verbo contradictiones Theologicae judicande sunt, ne ex confusione principiorum res ipsa confundantur.* H. I. e. g. *An una propositio alteri formaliter contradicat, de eo judicare potest ratio, vel per rationem Philosophus ex Logicis: ultra vero propositionum vera sit vel falsa in Theologia, hoc ratio ignorat: sic contradictionia sunt, Christus est purus homo, Christus non est purus homo, utraque vera esse nequit; an vero illa, an hac vera sit, solus Theologus novit.* Hincque manifestissimum est, ne sic quidem vim majoris propositionis in allegato argumento infringi posse, sed totum argumentum firmissimō niti fundamento,

§. V.

Posthac ad tollendam omnem Evangelium inter & Legem adversitatem multum quoque faciunt amica appellations, quibus tam Lex quam Evangelium in S. Scriptura insinuitur. Ita namque de Lege Apostolus: *Lex ipsa quidem*

dem sancta. & preceptum sanctorum ac justum & bonum. Rom.
 VII. v. 12. item : Scimus, quod lex bona sit, I. Tim. I. v. 8.
 nec non Acto. VII. v. 38. Sermo vivus appellatur. Evangelium vero eadem in S. Scriptura habet elogia. Sic enim
 rursus Paulus : Non me pudet Evangelii Christi, potentia siquidem
 est DEi ad salutem omni credenti. Rom. I. 16. & alio in loco,
 ubi de Evangelio differit, ita inquit : Loquimur sapientiam
 DEi in mysterio, que est recondita, quam praefigerat Deus ante
 secula in gloriam nostram. I. Cor. II. 7. Quid ergo, num lex
 sancta, justa ac bona adversari potest potentia DEi, aut sermo
 DEi vivus ejus sapientiae ? Quid vero, quod de Evangelio
 Apostolus expresse prædicationem instituat : Ceterum
 etiam si nos, aut angelus è celo prædicaverit vobis Evangelium,
 præter id, quod prædicavimus vobis, anathema sit. Gal. I. 8. Nam
 Evangelium hoc, de quo loquitur Paulus, tam amicè con-
 spiratum cum legis appellatione, ut tam in V. quam in N. T. ex-
 pressè Lex appelletur. Ita enim de eo ubi loquitur Esaias,
 sic inquit Cap. II. v. 3. De Sion exhibet lex, i.e. doctrina de Ev-
 angelio, sicuti ex contextu apparet & ex loco parallelo Mi-
 chæ IV. v. 2., ubi eadem habentur verba. In N. Testa-
 mento autem Paulus distinctionem facit inter legem operum
 & legem fidei, sic inquiens : Ubi igitur gloriatio? exclusa est:
 Per quam legem? operum? Non, imò per legem fidei. Rom. III.
 27. per illam legem simpliciter, per hanc Evangelium in-
 telligit, Idem quoque Rom. VIII. v. 3, illud appellat Le-
 gem spiritus vite per Jesum Christum. Jam ergo, si nemo
 aliud Evangelium prædicare debet, nisi quod ab Apostolis
 prædicatum, hoc vero Evangelium nequam repudiat
 nomen legis, que itidem prædicatur ; sequitur nullam esse
 posse

posse inter hæc duo repugnantiam, contrarietatem aut adversitatem.

§. VI.

Et quod denique minimè prætereundum est, utrumque tamen Lex, quam Evangelium, omni tempore amplectendum est propositum. Si enim tempus pro hac occasione in IV. pericopas distingvere juvat, I. ubi in Paradiso homines primi vitam egere, usque ad ejectionem ex eodem. II. ubi Patriarchæ vixere ante solennem Legis promulgationem, III. Ubi post Legis promulgationem Prophetæ, Reges &c. vitam egere ad adventum Messie usque, & IV. ubi adventu Messiae Novum Testamentum est inchoatum, ad præsens tempus productum & ad extreum diem continuabitur; sanè non reperimus ex hisce tempus, quò non Lex cum Evangelio fuit conjuncta, & utrumque amplectendum à DEO non fuerit mandatum. Tempus enim paradisaicum quod concernit, in eo ubi creatus erat Adam, & ex eo Eva, illicò cordibus eorum lex Domini erat quam clarissimè inscripta, cuius post lapsum transgressæ rigori adjungebatur quoque dulce Evangelium: *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter semen tuum & inter semen illius, ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Gen. III. v. 15. Quod Evangelium & Protoplasis & in iis lapso toti generi humano amplectendum à DEO dabatur. Post illa tempora, ante promulgationem solennem legis, continuabat lex cordibus inscripta in omnibus Patriarchis virisque probis, & simul Evangelium datum constantissimè repetebatur. De quibus in rem nostram quam optimè differit Wilhel-

Wilhelm. Momma in Oeconom. Temporum P. I. Cap. IX.⁹
de statu Patrum & fidelium ante legem p. m. 89. Opus legis
habuerunt scriptum in corde. Révelatio divina, que ad salutem
credenda erant, sive mediata sive immediate manifestavit. Ver-
bum promissionis frequenter fuit repetitum. Spiritus Sanctus fidens
operatus est, & illa fide purificavit corda, & sanctificavit ad
omnem virtutem & laudem. Imò tām legis quām Evangelii
cognitio videtur eō tempore incrementa cepisse. Nam le-
gem scriptam in corde quod concernit, ei revelationes divinæ
additæ per mandata DEI e. g. de sangvine humano non fun-
dendo: *Quicunque effuderit sanguinem humanum, per homi-
nem fundetur sanguis illius*, Gen. IX, v. 6. ad quæ accessere VII.
illa Nohæ Præcepta, ex lege cordis transcripta ac rudiori-
bus commendata, quæ à Magistris Hebræorum hæc esse per-
hibentur I. de Maleficorum poenis ac judiciis. II. de Be-
nédictione Nominis divini, sub quo III. comprehendebat-
ur quoque observatio Sabbathi. IV. de detestatione omnis
idolatriæ. V. de Nuditatis obtectione. VI. de Homicidii &
VII. de membra vivi abstinentia, Schindl. in Pentaglot. p. 1530.
quæ verò ab aliis aliò modò proponuntur. vid. Godv. Mo-
ses & Aaron Lib. I. C. VI. p. 16. Evangelium autem istò tempo-
re non solùm typis est illustratum, utpote Abrahamò, qui fili-
um unicum immolare voluit Gen. XXII. Filii DEi immola-
tionem pro peccatis haud obscurè obumbrans, Melchisèdechò,
quó sat clare JESUS, nostra justitia, declaratus, qui factus est nobis
à DEO justitia. I. Cor. I. 30. aliisque plurimis; Verùm etiam
prophetià Jacobi clarius redditum, sic quippe ille: *Non
auffertur habens principatum à domo Iuda, neque scriba à filiis
filiorum, donec ejus veniat Meßias, cuius est regnum, & ei obedi-
ent populi* Gen. XLIX. v. 10. sicuti juxta versionem Chaldaicam

Onkelos ex Aria Mont. adduxit Gesner. in Comment. super
 hæc verba. Et ibidem vers. 18. *Salutare tuum exspecto,*
Domine, dixit Pater noster Jacob: Non exspecto salutare Gide-
on filii Iosas, quæ est salus temporalis: neque salutare Samson filii
Manue, quæ est salus transitoria; sed exspecto redemtionem
Christi, filii David, qui venturus est ad accersendum sibi filios
Israel: cuius redemtionem desiderat anima mea. Post solen-
 nem verò legis promulgationem in monte Sinai, Deus sum-
 mō studiō legem commendare voluit obnixè observandam.
 Ita quippe Moses Dev. VI. v. 6, & seqq. *Erunt verba hæc, quæ*
principio tibi hodie in corde tuo. - - & v. 8. & ligabis ea quasi
signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.
 Quæ verba à Judæis summō studiō observata sunt, ita ut, sa-
 tisfacere volentes iis, in philacteriis decalogum Domini con-
 servaverint, nimirum membranulis inscriptum brachiis,
 fronti &c. allegaverint, sicuti de iis prolixè refert Buxtorf.
 in Synag. Judaic. Cap. IX. de Tzizis seu Peniculamentis, &
 Tphillin seu Philacteriis. p. m. 160. & seqq. Et Hieron. Com-
 ment. super Matth. XXIII. hunc in modum ea explicat: *Pre-*
cepta erunt in manu tua, ut compleantur, erunt ante oculos tu-
os, ut die ac nocte mediteris in eis. Evangelium verò hoc tem-
 poris spatiō ab omnibus, quotquot extant Prophetis com-
 mendatum, vel, si loqui liceat cum Hebræis, à Mose, ab
 Hagiographis & Prophetis, continuò nexus Judæis prædica-
 tum est. Imò una in re apertè legem & clarissimè per typum
 Evangelium fuisse eò tempore, facilè exponi potest. Ni-
 mirum si *arcam fæderis* consideramus, quæ post promulga-
 tionem legis vigebat inter Judæos, refert Apostolus ad He-
 bræos Cap. IX. v. 4 de eâ: *Arca Testamenti - - in qua urna*
aurea, habens manna, & Virga Aaron, quæ germinaverat, &
tabula

tabula testamenti. En Evangelium in Manna & virga typicè, & lex in tabulis literaliter! Sed forte huic objici potest cū n̄ in qua non referendum esse ad m̄n uicētiv arcā, sed m̄n oīnūn tabernaculum, hincque juxta mentem Apostoli in tabernaculo secundo fuisse quidem urnam Mannæ, virgam Aaronis, tabulasque foederis, verū hasce tantum in arca, illas vero ante arcā, cui sententia cum Gerhardo lese quoque subscribit Sebast. Smidius in Comment. super Epist. hanc, causam adducens: cū non semper sumi pro In, sed etiam Apud, Juxta, cum. Sed esto & sic. Hoc tamen certissimum, tabulas Testamenti, s. Legis fuisse in arca, sicuti manifestissimè ponitur. I. Reg. VIII. v. 9. & veluti illud ita quoque hoc certissimum, experimentum arcæ typum fuisse propitiationis Messiae & per consequens Evangelii. Ita namque Apostolus: *Justificantur omnes gratis per illius gratiam, per redemptionem, qua est in JEsu Christo: quem propositus DEus iλαστ̄iv propitiationem (B. Lutherus zu einem Gnaden-Stuhl) per fidem, interveniente ipsius sanguine ad ostensionem justitia sua.* Rom. III. v. 24. Taliq; modo lex in arca fuit, & ab Evangelio obtecta, inq; una re utrumq; lex & Evangelium, colendum Judæis est propositum. Tempus N. T. tandem quod concernit, in eo nemo à legē eximitur, sed potius ad eam Salvator omnes transmittit: *Habent Mosen & Prophetas, eos audiant.* Luc. XVI. v. 29. Imò multis in locis à Salvatore Lex inculcatur, Evangelium vero ab ejus nativitate ad hæc usque tempora omni populo annuntiatur, & ad finem mundi annuntiabitur, & ut ab omni Doctor Homiletico utriusque cādem fidelitate, eodem ardore ratio habeatur, summae necessitatis est. Alterum enim horum si negligitur, negligitur ipsa salus. Nam si prædicatur

catur lex, Evangelium verò omittitur, miseri peccatores ad desperandum inducuntur, si autem Evangelium dulcissimis verbis delineatur posthabitā legis inculcatione, Auditores ad securitatem impelluntur, utrumq; iis damnosum. Quæ cum ita sint, ab omni ævo legem & Evangelium à DEO ipso Judæis & Christianis amplectenda esse proposita, DFum verò, ad repugnantia aut adversa homines obligare non posse, exindè firmissima consequentia fluit, Legem inter & Evangelium haud ullam esse posse adversitatem aut repugnantiam.

§. VII.

Verùm ad rem proprius accedamus, & diversa quæ sunt legem inter & Evangelium inspiciamus, ac an in iisdem ADVERSA quædam reperire possimus, meditemur. Primum effectus utriusque quosdam apponere juvat, qui sibi omnino contrariari apparent. Nam Lex vulnerat, Evangelium sanat, lex terret, Evangelium solatur, damnat lex, absolvit Evangelium, hoc cœlum, illud infernum aperit peccatoriis, Lex iram operatur, Rom. IV. 15. Evangelium potentias DEi ad salutem omni credenti, Rom. I. 16. Et eleganter B. Lutherus: *Utraque doctrina legis & Evangelii versatur circa peccatum, sed diversimodè: Lex ostendit, accusat, imputat, damnat peccatum; Evangelium verò remittit, legit, non imputat peccatum, quia ostendit agnum DEi tollere peccata.*

§. VIII.

Sed effectus legis & Evangelii sic considerati, equidem diversitatem præsupponunt, minimè verò adversitatem aut ullam contrarietatem inter ea evincunt. Nam I. contrarii effectus in se suâque naturâ contrariarum causarum infallibilita

lia non sunt signa, quippe illi vel ab una eademque re provenire possunt. Sic sol indurat, & liquefacit, denigrat & dealbat, exhilarat & molestiam creat &c. effectus hi sunt contrarii, at quis ob eos affirmaverit solem ipsi sibi contrarii? Eadem ratione, ubi percipimus contrarios legis & Evangelii effectus, exinde inter eadem repugnantiam aut adversitatem colligere non possumus. II. Si contrarii effectus oriuntur ex contrariis & adversantibus sibi causis, necessum est, ut isti effectus tendant ad contrarios fines, e.g. protegere homines, & querere eos ad devorandum, sunt contrarii effectus, & quidem qui oriuntur ex causis sibi adversantibus, quia nempe Angeli boni protegunt homines, ne forte pedem ad lapidem allidant, Ps. XCI. v. 11. adversarius verò diabolus tanquam leo rugiens obambulabat, querens quem devoret, I. Petr. V. 8. Et veluti contrarii effectus sunt ex contrariis causis, ita quoque tendunt ad contrarios fines, nempe boni angelici custodiunt ad vitam, mali querunt devorare ad mortem. Similiter in homine regenito contrarii reperiuntur effectus, nempe inclinatio ad cœlum, & inclinatio ad mundum, quos effectus omnino contrarios ex causis sibi adversantibus oriri, expreßè docet Paulus, sic inquiens: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem: hec autem inter se mutuè adversantur, ut non quicunque volunt, eadem faciat.* Gal. V. 17. Qui autem contrarii effectus adversantium libi causarum similiter ad contrarios tendunt fines, nempe spiritus inclinatione ad cœlum salutem intendit, caro verò inclinatione ad mundum tendit ad interitum. Jam verò, et si habeamus contrarios legis & Evangelii effectus, tamen dicere non possumus eos ad contrarios tendere fines, sed utriusque finem esse gloriam DEi homini-

numque salutem, certissimum est. Nam lex ostendit vulnera, ea ut sanet Evangelium, terret lex, ut terrore con-
cussus peccator ad paenitentiam confugiat, eaque justitiam
coram DEO, hoc est Evangelium solans conseqvatur, da-
mnat lex, uthomo damnatus in Evangelio gratiam DEi fide
arripere disicit. Hinc apprimè in rem nostram Justinus in
Quæstion. & Responsi. ad Orthodox. quæst. 104 Gratia non
est secundum legem, nec adversus legem, sed supra legem & prole-
ge. Suprà legem quidem, quoniam gratia; pro lege autem,
quia per paenitentiam peccatores adducit ad indulgentiam & bene-
ficium legis. Hinc quoque Apostolus: *Legem igitur irritamus*,
facimus per fidem? Absit: *inā legem stabilimus.* Rom. III. 31.
Conferatur ad Gal. III. 21. Hinc ergò, quia contrarii effe-
ctus Legis & Evangelii nequaquam ad fines contrarios ten-
dunt, sed ad unum eundemque scopum, ob id, quod contrarii
sunt effectus, minimè Legem inter & Evangelium ullam con-
stituere possunt adversitatem. III. Ut contrarii effectus
signa sint adversantium sibi causarum, requiritur, *ut circa*,
idem versentur objectum, secus nil minus, quam de causis re-
pugnantibus poterunt testari. Nam & DEo ipsi possunt ef-
fectus contrarii assignari, damnat & absolvit, irascitur & gra-
tiam confert, &c. qui verò effectus non versantur circa idem
objectum, sed objecta contraria: Nimirum damnat DEus
improbos, absolvit poenitentes, irascitur pertinacibus pec-
catoribus, gratiam confert poenitentibus. At propterea
quis sine summa blasphemia asserere auderet, ob ejusmodi
contrarios effectus DEum sibi ipsi adversari. Res quoque
similitudine potest declarari. Si mihi amicus est, qui alii
homini benè vult, cui & ego benè volo, alii verò malè vult,
eui & ego malè volo, propter id ille mihi planè non adver-
satur,

satur, at si illi malè vult, cui ego benè volo, & illi benè vult,
 cui ego male volo, omnino mihi contrariatur. Et eodem
 modò res sese habet cum Evangelio & lege, nequaquam eo-
 rundem contrarii effectus versantur circa idem objectum, sed
 circa objecta contraria. Nam lex male vult pertinaci bus
 peccatoribus, illis & Evangelium, quibus gratiam non of-
 fert sed pernegat, juxta monitum Salvatoris: *Ne detis, quod
 sanctum est, canibus, nec proceritis margaritas vestras ante por-*
cos: ne quando hi conculent eas pedibus suis. Matth. VII. v. 6.
 Evangelium autem benè vult corde contritis. Ita namque
 Salvator: *Pauperes latum accipiunt Evangelii nuntium.* Matth.
 XI. 5. Hosce vero & lex, quando intelligit Evangelii
 solatiò erigi, damnare cessat. Nam nulla condemnatio in his
 qui insiti sunt Christo IESU, qui non juxta carnem versantur sed
 juxta spiritum Rom. VIII. v. 1. Quare cum Lex & Evangelium
 suis effectibus versentur circa diversa Objecta, exinde qui-
 dem diversitas, sed non adversitas emergit.

§. IX.

Quibus præsuppositis, labefactatur secunda Objectio,
 quæ desumi posset ab Objectorum adversitate & Repugnantia,
 circa quæ Lex & Evangelium versantur, forte hunc in mo-
 dum: *Quacunque doctrina versantur circa talia objecta, quo-*
rum alterius DEO inimicum, alterius DEO amicum est, et doctri-
næibi adversantur & contrariantur. Atqui Lex & Evange-
 lium &c. Ergò. Major probatur ex eo, quod ab Objecto
 res alias dijudicari possint, hincque cum amicum & inimi-
 micum repugnantia sint, eadem quoque esse ea, quæ circa
 hæc versantur. Minor probatur ex S. S. Nam lex pro ob-
 jecto

jecto habet improbos, qui D^O inimici sunt, juxta assertum Pauli : *Lex posita est injustis & inobsequitibus, & impiis & peccatoribus, irreverentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud est, quod sana doctrine adver- setur.* 1. Tim. I. v. 9. 10. Evangelium verò contra eos pro Objeto habet, D^O qui sunt amici, nempe corde contritos, fideles, probos, quibus Salvator id pandit multis planè locis, & quoque Matth. XXV. v. 34. ubi eos in extremo judicio talia svavissima audituros esse, asserit : *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis ab exordio mundi.* Hæc inquam objec^tio ab objec^to labefactata. Enim verò nec ex objec^torum adversitatem simpliciter doctrinarum sequitur adversitas ; sed hæc dependet à modō versandi circa ista objec^ta diversa. Nam si eodem modō versaretur lex circa improbos, quò modō Evangelium circa probos versatur, nempe amore aut odio ; tūm utique inter Legem & Evangelium adversitas esset, quia contraria & adversa vel amarent vel odio prosequerentur. At quia hoc non fit, uti ostensum in §. præcedenti, sed Lex versatur circa impios irā, Evangelium circa probos amore, manent quidem eorum objec^ta aduersa, ita tamen ut ipsa lex ipsumque Evangelium sibi minimè proptereà sint aduersa, eò quod alterum ex hisce illos odio prosequitur, qui odio digni sunt, & alterum eos amore complectitur, quos misericordia D^EI amore dignos facit, talique modō in actionibus amicè conspirant.

§. X.

Porro à Subjecto potest desumi Objec^tio, hunc in modum : *Quocunque repugnant esse in uno Subjecto, ea sunt repugnan-*

gnantia & sibi adversa, Atque Lex & Evangelium repugnant esse
in eodem Subjecto. Ergo Lex & Evangelium sibi repugnant.
Sanè enim tām major quām minor videtur firmissimis sta-
biliri posse rationibus. Major enim si probatur: Si res
quædam non sunt adversæ sibi, cur repugnant esse in uno
Subjecto? Nam de adversis unicē dicitur: *Quod conforti-
um justitia cum injustitia? aut qua communio luci cum tenebris?
Aut qua concordia Christo cum Belial?* aut qua pars fidelium cum
infideli II. Cor. VI. v. 14. Et ne excipiatur contrā majorem
hanc propositionem: cognitionem Metaphysices, & noti-
tiā XXIV, literarum repugnare esse in uno Subjecto, nem-
pe in puerō VIII, annorum, & tamen sibi non adversari,
item, exquisitam theologicam de controversiis theolo-
gicis scientiam, & simplicem de rebus fidei cogni-
tionem catecheticam repugnare esse in homine simplici &
illiterato, & tamen sibi nequaquam contradicere, sed poste-
rius sub priori comprehendī; prænotamus, nos per Subje-
ctum hic intelligere tale, quod utriusque contrarii capax est.
e. g. Liberalitas & avaritia sibi sunt adversa, quia repu-
gnant esse in uno Subjecto, nempe homine morali, qui utri-
usque capax est. Item: amor & odium erga DEum & pro-
ximum sibi sunt adversa, quia repugnant esse in uno Christi-
ano, qui & amoris & odii particeps esse potest. Secus enim
non procedit. Nam elephas & trochilus repugnant esse in
uno Subjecto, nempe in communi cavea avium, propterea
tamen minimè sibi sunt adversa, quia subjectum istud ex se
suaque natura non est ita comparatum, ut trochilum simili-
cum elephante recipere possit. Item Fides & Ecclesia repu-
gnant esse in uno Subjecto, nempe in fideli, qui quidem fidem

C

in.

in se habet, at Ecclesiam in se habere nequit, ob id tamen minimè sibi sunt adversa, nam fides quidem in fideli est tanquam in subiecto capaci, at nō inesse Ecclesiae in fideli de subiecto minimè congruo perhibetur. Minorem autem quod concernit, S. Scriptura passim denotat, Legem & Evangelium maximoperè repugnare esse in uno Subiecto. Sic enim adductō locō I. Tim. I. 9, hæc ad differentiam Subiecti habentur verba : *Justo lex non est posita, sed iustis*, quippe inuitur, legem repugnare esse in justo. Et veluti hoc, ita quoque multis in locis indicatur, Evangelium repugnare esse in peccatore pertinaci & impoenitenti, utpote cui Evangelium solatium omne denegat, id verò offert corde contritis. *Nam venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos.* Matth. XI. v. 8. Sicque lex, minans, condemnans est quidem in peccatore pertinaci, in quo Subiecto vero cum lege repugnat esse Evangelium solans, absolvens. Et vice versa : Evangelium solans, erigens, in homine poenitenti, justificato, quidem locum habet, cum quo verò repugnat esse in eodem subiecto Lex vulnerans, condemnans. Nam nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo IESU, qui non juxta carnem versantur, sed juxta spiritum. Rom. VIII. v. 1.

§. XI.

Sed rursus respondemus : hæc quidem diversitatem, minimè verò adversitatem legem inter & Evangelium constitutere. Nam I. falsum est, Legem & Evangelium non posse esse in uno eodemque subiecto, peccatore neque justificato. Ubi enim Apostolus c. l. inquit : *Justo non est posita Lex,*

*Lex, id non accipiendum est ad mentem Antinomorum, qui ex hoc & aliis locis evincere conantur, legem planè ad Christianos non spectare, vid. Gerhard. Loc. Theol. Tom. III. de Lege DEi Sect. XII. Legem in Ecclesia predicandam esse contra Antinomos; Sed intelligendum est hoc loco, legem in justificato non amplius habere vim damnandi, ut in ipso sit. Quò etiam illud dictum in §. præced. allegatum tendit: Nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo IESU, &c. Nam (r.) in Textu dicti illius I. Tim. I. v. 9. legitur: Scient illud: ἐν δικαιῳ νόμῳ εἰ ἔσται, i. e. quod justo non jaceat lex, vel ad coactionem servilem, vel ad condemnationem. Sicuti explicat Hutterus in Christ. Concord. Art. VI. de tertio usu legis p. m. 506. qui ibidem quoque hæc ex ipsa Concordia Formulâ adducit verba: *Ei si justo non est lex posita: sed in justis: hoc tamen non ita accipiendum est, quasi justis sine Legi vivere liceat: Lex enim divina ipsorum cordibus inscripta est.* Et quidem primo homini statim post ipsius creationem etiam lex data fuit secundum quam vivere debebat. *Hec igitur est verborum Pauli vera & genuina sententia: quod lex eos, qui per Christum cum DEO reconciliati sunt, maledictione suâ obruere nequeat: & quod re-natis coactione suâ molestia esse non posse: Quandoquidem illi secundum interiorem hominem lege DEi delectantur.* Et quoq; Matthæus Polus ex multis commentariis alii hanc suam egregiam sanè supet illud dictum Pauli conflavit explicatiō-nem. *Justus, inquit, hic vocatur, non qui perfectus est, sed qui præcipuō cordis affectu ad bonum adspirat, qui malitiam odit, virtutem amplectitur, vel, Christianus justificatus & sanctificatus per Christum, quem Dominus verā doctrinā & spiritu S. im-buit, pius & justus deditus.* *Hac sententia de lege humana facili-est,**

lis est; nam in viros bonos lex non est, quia ipsi sunt instar legis, ait Aristot. III. Polit. Cap. IX. de lege Mosis difficilis. Legem autem hic considerat Paulus non secundum omnia ejus officia; nam & justi eā ut regulā opus habent, & ad obedientiam ejus obligantur, ut in N.T. passim docetur: sed secundum ea tantum, que ei competunt, ut sola est, neque contrā fidem & gratiam Christi distinguitur, sicut eam Apostolus passim distinguit: qualia sunt minari, terrere, reum facere, pansas infligere. Nam alia ejus officia, que sunt, precipere, dirigere, promittere, &c. gratiam aut presupponunt, aut non excludunt. Hæc & longè plura hoc spectantia habet Polus ex Chrysostomo, Magalino, Beza aliisque Nimirum (2) tenendum est, communiter à Theologis IV. legis usū statui, ex quibus si non omnes, tamen aliqui in justificato esse possunt. Scilicet primus legis usus est *Politicus*, consistens in externa disciplinæ conservatione, secundus *Elencticus*, in peccati demonstratione & argumentatione consistens, tertius paedagogicus, in se continens demonstrationem virium inopiae, quā ad Christum ducit, quartus, *didascalicus*, consistens in directione vitæ & morum. Ex hisce primum usum quod spectat, catenus ille in homine justo esse non repugnat, quatenus homo justificatus non repugnat esse sincerus *Politicus*, qui externarum in Republica curam habeat disciplinarum. Utut autem secundus usus *elencticus*, peccatoris peccata demonstrans ipsumq; damnans, in justificato locum habere nequeat, tamen usus tertius *pedagogicus*, qui in manifestatione peccatorum ad Christum ducit. Ita namque August de Poenit. medic. C. I. Ad hoc data lex est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo paenitentiam suaderet. Ad hoc data lex, ut vulnera offendentes peccatorum,

eatorum, quæ gratia benedictione sanaret. Ad hoc data lex, ut diceremus etiam in convaldo plorationis, video alias legem in membris meis &c. Et succurret nobis exaudiente DEo, qui erigit elisos & solvit compeditos, illuminat cœcos gratiâ DEi per JESUM Christum. Et quoque quâm luculentissimè B. Lutherus in Cap. VII. ad Gal. Tom. IV. Lat. Propter carnem adhuc opus est renatis padagogo, qui fortem asinum exercet & vexet, ut hac pedagogia minuantur peccata, & Christo via paretur. Similiter usus legis quartus didascalicus cum Evangelio in justificatio ceu eodem subjecto non repugnat esse, nam instruit regnatos, quæ sint verè bona opera in quibus ambulare debeant, ac DEo placere possint, sicuti B. Gerhard. loquitur Theol. Loc. Tom. III. de Lege DF. Sect. XI. p. 150. Id autem cum Evangelio optimè consistere posse, quis dubitaverit? II. Etsi fatendum, in pertinaci peccatore esse non posse legem simul cum Evangelio, sed hoc repugnare in hoc subjecto cum lege esse; tamen ista repugnantia non est adscribenda Legi aut Evangelio, sed subjecti perversitati, quod, quia recusat debitò modò legem assumere, eō ipso Evangelio indignum, se reddit. Interim ex intentione causæ efficientis, DF. nempe est constitutum, ut lex prædicetur impiis, ut eādem moti ad frugem redeentes, Evangelio erigi possint. Quibus ita præmissis major propositio argumenti in §. præced. adducti, sic esset limitanda: Quæcumque ex se suaz. natura, nec non ex intentione cause efficientis in uno subjecto esse repugnant, ea sibi sunt adversa. Quâ limitatione majoris penitus ruit minor, ac adversitas ista legem inter & Evangelium, quoniam in eodem subjecto esse repugnare dicebantur, penitus annihilatur.

§. XII.

Ulterius *adversa Adjuncta Legis & Evangelii* videntur aduersitatem aliquam interea constituere. De Lege namque hæc habentur: *Nunc ergo quid tentatis DEum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus* Act. XV. v. 10., & ne forte objiciatur, locum hunc agere de lege ceremoniali, nempe de circumcisione, facile loca alia in medium proferre possumus, quæ de Lege morali idem affirmant. e. g. *Accepistis legem per dispositiones Angelorum, nec servastis*. A&t;or. VII. 53. & ne rursus dicatur infidelibus tantum Judæis legem servatu impossibilem esse, expresse A&t; XIII. v. 38. *Notum sit vobis, quod per hunc &c. conf.* Rom. III. v. 23. ubi lex grave onus, quod ferri non potest, describitur, contrà verò Salvator Evangelium leve jugum esse, inquit: *Jugum meum commodum est, & onus meum leve*. Matth. XI. v. 30. Cum ergo grave & leve, svave & ingratum sibi adversa atque contraria sint; sequitur inter gravem legem & leve Evangelium esse contradictionem, repugnantiam atque aduersitatem.

§. XIII.

Rursum autem respondetur, & hæc diversitatem Legem inter & Evangelium constituere, minimè autem aduersitatem. Nam I. causa difficultatis servandi legem posita non est in ipsa lege, sed in corruptione & imbecillitate hominis. Sane enim ubi primùm lex cordi Ad&t; inscripta fuit, qui summis animæ viribus prædictus erat, servatu erat facilissima ac svavissima, per-

peræque ac facillimum ac syavissimum est poenitenti peccatori Evangelium recipere. *Syavissimum enim erat, D. O summo, Creatori charissimo, Conservatori pulcherrimo obedientiam contestari, facillimum verò, quia non erat in voluntate hominis ejusque appetitu aliqua contra Numen divinum discordia aut repugnantia, sed mira cum voluntate divina convenientia.* Secus enim si fuisset, hominem Deus ad impossibilia obligasset, quod ne quidem probus in Republ. facit Princeps. Atquod jam sit jugum lex, quod neque patres nostri portare potuerunt, neque nos portare possumus, non adscribendum sanctitati legis, aut illius Latori, sed depravatae naturæ protoplastorum inertiat ita existenti. Hinc Apostolus Rom VIII v. 3. *Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, prestit Deus misericordiæ Filio.* Super quæ verba ex Gatakeri notis Manuscriptis hæc habet Polus: *Lex impotens erat ad hominem justificandum, non per se, sed ex accidenti, quia scilicet homo corruptus impotens erat ad prestandam legem, ut lex vires ei dare poterat.* Tali ergo modò legis cum se habeat conditio, ut ex suâ naturâ portatu facilis ac syavis sit, ob culpam alienam verò, hominis nempè, onus, quod ferri nequit, extiterit; num quæso ob id ipsa dici posset adversari Evangelio? Nequaquam. Sicut ipse Deus ob culpam hominis non potest malus dici, ita neque sancta ejus lex ob infirmitatem hominis onus grave syavissimo legis iugo repugnans. II. Quantumvis Lex neque ab irregenis, neque à regenitis, perfectè impleri possit, eò quod non tantum in illis sit natura corrupta & Spiritui Sancto resistens, sed quoque in hisce rebellio carnis adversus Spiritum; juxta illud Apostoli: *Curio concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus*

versus

versus carnem &c. Gal. V. 17. tamen longè aliò modò lex se-
 se habet respectu irregenitorum, & longè aliò modò à rege-
 nitis respicitur, & quidem ita, ut neutrò modò Evangelio
 adversari possit, sed utròque potius modò cum eodem sva-
 vissimè conveniat. Id quod jam videndum. nam (1.) Irre-
 genitus lex est onus, molestia &c. iisdem verò Evangelium
 ludibrium, stultitia. Nam prædicamus Christum crucifixum,
 Judicis quidem offendiculum, Greci verò stultitiam. I. Corinth.
 I. v. 23. Hinc rediissimè c. I. Polus : *Quamvis Evangelium*
& luce & virtute legem supereret, superba tamen & pervicax no-
stra caro nec illi magis quam legi se subjecere vult, nisi succurrat
Spiritus DEi. Sielex & Evangelium hòc in punctò ab irrege-
 nitis eadem experiuntur fata, quibus sibi nequaquam pos-
 sunt adversari. (2.) regenitus, utut perfectè legem implere
 nequeant, tamen summa voluptas est, legis opera præstare,
 quantum in viribus eorum ab auxilio DEi corroboratis, po-
 situm est. Ad hoc enim variò modò ac mediò instigantur.
 A. Amor DEi est, quò moventur opera legis præstarenon co-
 actè sed sponte. Velethnicus Plutarchus inquit: *Non est la-*
boriosum, quod Deorum cultui impeditur, quid dixerit renatus
& Spiritu Domini corroboratus, qui firmissimè tenet maje-
sticam DEi operibus suis præsentiam? Hinc tentatus Jo-
 sephus à lasciviente uxore Potiphar ad fornicationem, egre-
 giè respondebat : *Quomodo possum hoc malum facere, & pec-*
care in DEum nostrum? Gen. XXXIX. v. 9. B. Timor DEI
 est, qui legis opera quam vehementissimè inculcat, atque
 ad eadem præstanda movet. Veluti enim exsurgente timo-
 re, homines moti velociores redduntur ad fugam capien-
 dam ; ita regeniti consideratione horrendi judicii extremi,
coram

coram quo rationem reddere omnes tenebimus, velocem à peccatis fugam concipiunt. Hinc Basil, Magnus in illud Psalmi XXXIII. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, hæc habet: *Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal, in quo præsidebit Iudex in excelso throno; adstabit autem omnis ejus creatura, ad gloriosum ejus conspectum contremiscens: adducendi etiam nos sumus singuli, eorumque in vita geſsimus rationem reddituri: mox illis, qui mala perpetrarunt, terribiles quidem & deformes assistent angeli, igneos vultus praeferentes, atque ignem spirantes in homines, scilicet impios. Ad hec cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine: deinde vermium genus, venenum immittens, & carnem vorans, inexplicabiliter esuriens, neque unquam saturitatem sentiens, atq. intolerabiles dolores corrosione ipsa insigens. Denique quod omnium gravissimum est, opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hec time, & hoc timore quasi freno, animam à peccatorum concupiscentia comprime.* C. Vitii deformitas est, quæ ad legis compellit observantiam. Cum namque piis animis peccatum appareat abominatio coram DEO Ps. V. v. 7. monstrum naturæ, venenum animæ, læsio divinæ majestatis, reatus æterni ignis, non possunt non postulante lege à peccatis abhorre, legisque mandatorum studiosi esse. Sanè meritò miramur gentiles, quod moti foeditate peccatorum ab iisdem abstinere docuerint & quoque ipsi abstinuerint. Ita quippe Seneca: *Etsi si rem homines ignoraveros, & Deum ignosciturum, tamen peccare nolle, ob peccati turpitudinem.* Democles verò puer in balneo, ut stuprum Demetrii, Regis, evaderet, in aquam feryentem infiliit, ne

D

enim

enim se pollueret, maluit mori, testante Plutarcho in Vita Demetrii. Quantò major autem videbitur fœditas peccati in renatis, qui eō æternam pulchritudinem sē lādere ex sacrâ Scripturâ norunt? Sic S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus: *Malo, inquit, in rogum ardentissimum insilire, quam peccatum ullum sciens admittere in DEum.* Et Anshelmus inquit: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* D. denique, *Virtus pulchritudo est, quæ renatos animat, ut sine molestiâ ac murmure legis observantiam ratam habeant, & ad eam implendam, quantum humana imbecillitas patitur, omnem operam navent, quò respectu inquit Oecumenicus in Cap. VIII, Roman. Lex magistra virtutis est, vitiorum verò debellatrix.* Ut ut enim bona legis opera & in renatis coram DEO manca omnino sint, nec perfectum constituere possint Christianum, docente ipso Salvatore: *Vos cum feceritis omnia que præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Luc. XVII. 10. tamen Evangelii gratiâ ita exornantur, ut divinæ misericordiæ gratissima existant. Hinc Salvianus Lib. VII. de Gubernatione DEI? *Quid namque à nobis exigit, quibus præstari sibi à nobis jubet, nisi solam tantummodo fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, que non onerant, sed ornant.* Atque ob hanc IV. adductas causas contigit etiam, ut Johannes liberè legis fateatur facilitatem: *Præcepta, inquiens, ejus non sunt gravia,* I. Joh. V. 3. Sicque cum pateat, legem in renatis Evangelii gratiâ servatu facilem esse, ut corruptæ naturæ humanæ onus ingratum sit; sequitur exinde legem inter & Evangelium longè tutius concordiam svavissimam quam inimicam repugnantiam aut adversitatem asseri posse.

§. XIV.

§. XIV.

Sed et si in hisce adductis omnibus nulla reperiatur ad-
versitas legem inter & Evangelium ; tandem tamen exinde
ea emergere videtur , quod Legi quam apertissimè contradic-
it Evangelium . Evangelio vicissim Lex . Nam Lex inquit :
Maledictus , qui non permanet in sermonibus legis hujus , nec eos
opere perficit , & dicit omnis populus , Amen ! Deut . XXVII . v.
26 Evangelium verò : *Certus sermo & dignus , quem modis*
omnibus amplectamur , quod Christus IESUS venit in mundum , ut
peccatores salvos saceret . I . Tim . I . 15 . In quibus dictis aperta-
contradiccio . Nam juxta legem hæc emergit propositio :
Homo peccans , nec legem perfectè servans , damnandus est
& æternæ maledictioni subjiciendus . Juxta Evangelium ve-
rò hæc concipienda propositio : Homo peccans , nec legem
perfectè servans , nec est damnandus , nec æternæ maledictio-
ni subjiciendus . Legis quippe enuntiationem requirit justi-
tia divina , Evangelii verò gratia IESU . Neque hic regeri
potest id , quod regerebatur ad diversos Legis & Evangelii
effectus : veluti nimirum illi dicebantur versari circa diver-
sa objecta , ita quoque propositiones hasce versari circà ea-
dem . Nam utriusque idem Objectum . Nimirum lex di-
cit , damnandos esse omnes homines , quia nemo in omni-
bus perfectè permanere potest . *Sententia maledictionis* Deut .
XXVII . v . 26 . fertur in omnes legis transgressores , non solum in
eos , qui in maximis peccatis legem violant , sed in omnes , qui non
permanent in omnibus , que scripta sunt in libro legis . Ostendunt
circumstantia Textus , omnia legis præcepta , non solum gravio-
ra de non mæchando , de non furando &c . sed etiam illud ultimum
de

de non concupiscentia fuisse prius in auribus populi Israelite publicè recitata, & tunc de num maledictionis sententiam in omnes transgressores legis promulgatam, inquit Gerhard. Tom. II. Locor. Theol. de Peccat. Actual. p. 337. De iisdem verò, non de aliis inquit Evangelium, omnes esse salvandos, quia Salvator est Iesus omnium hominum. Neque porrò regeri potest, convenire propositiones hasce contradictorias in uno eodemque fine, veluti dicebatur § VIII. de contrariis Legis & Evangelii effectibus. Nam Lex omnibus hominibus imponit maledictionem ad mortem, Evangelii autem enuntiatione oīnibus hominibus Iesum offert ad vitam.

§. XV.

Ad quæ verò hæc reponimus: Concedimus, propositiones contradictentes, quæ ex diversis doctrinis oriuntur, adversitatem omnino constituere; in hisce tamen adductis Legem ac Evangelium reverà sibi contradicere, nequaquam concedimus. Nam hæc propositio legalis: Omnis peccator est damnandus, & hæc Evangelica enuntiatio: Nullus peccator est damnandus, sunt quidem orationes sibi contradictentes, si simpliciter sumuntur, juxta definitionem Contradictionis apud Philosophos: *Contradiccio est oppositio propositionis universalis & particularis carens medio;* at minimè gentium tales existunt, si certò respectu & restrictivè spectantur. Sed hoc sit in utrâque propositione tamen legali quam Evangelica. Nam lex inquit: *Maledictus qui non permanet &c.* non simpliciter, sed restrictivè & cum addito; nisi ob transgressiones Legis digno modo fiat satisfactio, atque alius in se hanc suscipiat

piat maledictionem. Id quod multis ex locis explicari potest. Eodem modò ubi Evangelium ex dicto allegato I. Tim. I. 15. hanc profert orationem: Peccator salvandus est, minime vult simpliciter intelligi, peccatorem salvandum esse, quomodo cunque fuerit constitutus, sive fidelis, sive infidelis &c. sed conditionate & restrictivè, si peccator per fidem arripuerit impletionem legis à Christò perfectè præstatam. Quò respectu dieatur: Perfectio legis Christus ad justificationem omnium credentium. Rom. X. v. 4. Quò pactò sane nulla contradictione. Nam Lex expectat impletionem sub poenâ maledictionis, Evangelium verò eam præstat per meritum Christi. Hinc per pulchritudinem Lutherus, ubi justificationem peccatoris coram DEO describere vult, eum deducit tamen ad legis maledictionem, quam ad Evangelii gratiam. Sic enim inquit: Mi dulcis frater, disce Christum & hunc crucifixum, disce ei cantare, & de te ipso (nempe ob Legis comminationem) desperans dicere ei: Tu Domine JESU, es justitia mea, ego autem sum peccatum tuum: tu assumpisti meum & dedisti mihi tuum: assumpsisti, quod non eras, & dedisti mihi, quod non eram. Cave, ne aliquando ad tantam puritatem adspires, ut peccator tibi videri nolis, immo esse - - - Si enim nostris laboribus & afflictionibus ad conscientie quietem pervenire oportet: ut quid ille mortuus est? Igitur non nisi in illo per fiduciam desperationem tui, & operum tuorum pacem invenies. &c. In Epist. IX. A. 1516. ad Georgium Speslinum, Augustinianum Eremitam in conventu Memmingensi agentem, scripta, quam hisce adducit verbis Doctor Kortholt. in Hist. Eccles. Sec. XVI. p. 695. & seq.

§. XVI.

§. XVI.

Imò tandem , quomodocunque respexerimus Legem & Evangelium , in iis quidem cœlum ac infernum , Christum ac Belial , ac quidvis aliud reperiemus , at nullam repugnantiam inter hasce doctrinas . Amicissimæ nobis sunt doctrinæ , tantum variis instrumentis , svariissimâ tamen harmoniâ ad nostram salutem conspirantes . Lex Virga est , quā Pater , DEus , filiorum suorum coercet inertiam , ut ad frugem redeant , Evangelium oleum est , quō Medicus , Christus infictorum vulnerum dolores lenit . Illà Spiritus Sanctus dormientes excitat , hōc excitatos ad officium suum DEO præstandum lenissimè impellit . Ob quam svariissimam concordiam summas grates perennemque gloriam relinquisimus ÆTERNAE INCOMPREHENSIBILI CONCORDIAE , IN UNITATE TRINITATI , IN TRINITATE UNITATI !



01 A 6526

ULB Halle
002 935 83X

3




Sc


VDTZ

R

Fl 51.



Farbkarte #13



OLOGICA INAUGURALIS,
Evincent
INTER ET
IUM NULLAM
VERSITATEM,
Quam,
TE JEHOVA,
AGNIFICENTISSIMO,
ELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
FRIDERICO,
HELMO,
Æ ET ELECTORATUS
GICI HÆREDE, &c. &c. &c.
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
MIA REGIOMONTANA,
B PRÆSIDIO
OMINI
RDI von SANDEN,
t. Theol. Senior. & p. t. Decani, S. R. M. in
t. Prim. & Consiliarii Confift. Sambienf.
U DOCTORATUS
THEOLOGIA
babebit
NUS MASECOVIUS,
designat. Confift. Sambienf. Consiliar. Ecclef.
fftor. Scholæq; ibid. Inspector,
DITORIO MAXIMO,
br. Horis ante- & pomerid. A. MDCCIX.